

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus XII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

suum calicem ebibendum, hoc est, suam uel tribulationis uel exitij mensuram, genus & modum. Quapropter cogitet quisq; in tribulatione constitutus, id quod patitur, esse calicem à Deo sibi infusum & destinatum. Deinde esse illi additam certam mensuram, ne putet nullum illi fore modum, nullum finem.

- 4 Consideremus etiam qualitatem calicis huius impiorum, ut inter calices iustorum & impiorum discernamus. Punit impios Deus, castigat pios. Genus hoc perditionis, qua perit Sodoma, non est piorum, sed impiorum. Ideo Prophetae similes plagas minati sunt Babylonij, Esa. 13. Idumæis, Hierem. 49. & Moabitibus & Ammonitis, Zeph. 2. Quapropter curadum nobis est, ne participes calicis impiorum reddamur. Reddemur autem, si pares illis impietate & impoenitentia fuerimus. Ezech. 23. contra Iudam minatur dicens: In uia sororis tuæ (id est decem tribuum Israelis) ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua, &c.

OBSER.

Vers. ult.

Quoniam iustus Dominus.) Notandum est, quomodo Propheta certis illis ac indubitatis de Deo prolepsibus utatur, quæ sic omnium mentibus insident, ut nemo sit qui illis sine manifesta impudentia & impietatis nota contradicere sustineat: utpote quod iustus dicitur, bonus, omnipotens, omnia sciens, &c. Colligit hic ex eo quod iustus est Deus, non posse eum diligere impios & iniquos, odio habere iustos & pios: sed necesse esse ut diligat iustos, & detestetur iniquos. Etenim qualitas odij & dilectionis, qualitatem etiam odientis ac diligentis declarat.

2 Notabis autem quod dicit, Iusticias diligit. Certè qui iusticiam diligit, propter hanc diligit etiam iustos ipsos. Sic est dilectionis ingenium comparatum. Qui diligit uenustatem, uenustatis gratia diligit etiam uenustos: qui diligit eruditionem, propter hanc diligit & eruditos. Sic uiceuersa, qui odit superbiam, odit etiam superbos: qui detestatur impietatem, detestatur simul & impios. Itaque duorum hic admonemur. Primum, ut si diligi à Deo uoluimus, studeamus iusticiæ, ut illius nomine diligamur à Deo. Alterum, ut ex genere dilectionis & odij obseruemus quales simus. Sentis in te amorem rerum iniquarum & secularium, cogita te esse iniquum & secularem: contra si diligis iusticiam, & odio iniquitatem prosequeris, agnosce donum Dei, & per gratiam illius propaga illud, & auge.

3 Tertiò & illud notandum est quod dicit, Rectum uidet uultus eius. Non est simpliciter, uidet: sed, רואה id est, contemplantur & obseruant. Quod quisq; diligit, hoc studiosè obseruat. Sic colligitur ex studio obseruandi & contemlandi dilectionis affectus. Rectum uident subinde & impij, sed non quærunt, non obseruant, non diligunt rectum. Vbiq; iustus, quicquid faciat studio se quod rectum est obseruat, & unice spectat.

PSALMVS XII

AD PRÆCINENDVM SVPER

octaua, psalmus Dauidis.

1 **S**erua Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminuti sunt fideles à filiis hominum.

2 **V**ana loquuntur unusquisq; ad proximum suum: labijs dolosis in corde & corde loquuntur.

3 Excindat Dominus uniuersa labia dolosa, linguam magna loquentem.

4 Qui dicunt, Linguam nostram roborabimus, labia nostra nobiscum sunt: quis noster Dominus est?

5 Propter deuastationem afflictorum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus: feram salutem, (sic) loquitur apud se.

6 Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum in fornace terreo, purgatum septies.

7 Tu Domine custodias eos: serues nos à generatione hac in æternum.

8 Circumquaq; impij ambulant, cum exaltantur uilissimi filiorum hominum.

LECTIO Diminuti sunt fideles.) Ebr. כִּי פָסַד אֱמֻנָתוֹ. Græc. ὅτι ἐλαττώθησαν αἱ ἀληθείαι. Vulg. Lat. Quoniam diminutæ sunt ueritates. Hieronym. Quoniam imminuti sunt fideles. Arabs, Et dimniuta est ueritas à filiis carnis.

Vers. 2. Vana loquuntur.) Ebr. שִׁיר יָדָבְרוּ. Græc. μάταια ἐλάλουν. Vulg. Lat. Vana loquuti sunt. Hieron. Frustra loquuntur. Felix, Vana loquentur.

Vers. 4. Qui dicunt.) Ebr. אֲשֶׁר אָמְרוּ. Græc. τὸς ἀπόντας. Vulg. Lat. Qui dixerunt. Sic legit & Hieron. Chald. אֲמָרוּ id est, dicentes.

Labia nostra nobiscum sunt.) Ebr. שִׁפְתֵּינוּ אִתָּנוּ. Græcus, τὰ χείλη ἡμῶν παρ' ἡμῶν ἵστί, id est, apud nos sunt. Vulg. Lat. A nobis sunt. Sic legit & Arabs. Hieron. Nobiscum sunt. Sic & Chald. עִמָּנוּ, id est, nobiscum.

Vers. 5. Feram salutem.) Ebr. אֲשֶׁר בִּישָׁע, id est ponam in salute: Ebraismus est, pro ponam salutem. Græc. ἑστήμας ἐν σωτηρίῳ. Vulg. Lat. Ponam in salutari. Sic legit & Hier. Chald. אֲשֶׁר בִּישָׁע, id est, statuat in redemptionem. Loquitur.

A Loquitur apud se.) Ebr. *יחיד לוי*. Græc. *παρρησιασμενος εν αυτω*. Vulgata Latina, Fiducialiter agam in eo. Hieron. pro hac particula legit, Auxilium eorum. Chal. Impijs uerò testificabitur malicia. Felix, Loquetur pro ipso.

In fornace terreo.) Ebr. *בעליל לארץ*. Græc. *δονικισον τη γη*. Vulg. Lat. Probatum terræ. Hieron. Separa-
tum à terra. Chald. *ארעא על בכרדא*, id est, in fornace è terra.

Custodias eos.) Ebr. *חשבונו*. Græc. *φυλάξαι ημᾶς*. Vulg. Lat. Custodies nos. Sic legit & Arabs. Hier. Ver. 7.
Custodies ea. Chald. legit. Conseruabis iustos. Et Felix, Custodies eos.

Cum exaltantur uilissimi filiorum hominum.) Ebr. *כרם ולית לבגי אדם*. Græc. *κατα το ύψος ος υπουβήσας*.
Vulg. Lat. Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. Hieron.
Cum exaltati fuerint uilissimi filiorum hominum. Chald. Circumeuntes impij ambulant tanquā san-
guisuga, quæ fugit sanguinem filiorum hominum. Felix, Cum exaltabuntur opprobria filijs Adam.

Argumentum psalmi.

Titulus nihil habet quod ad argumentum psalmi faciat. Illud enim super octaua, meo iudicio, ad instrumen-
tum Musicum pertinet: hoc forsā nomine sic dictum, quod octo chordas habuerit.

Queritur autem hoc psalmo David, & iusticiam & fidem inter mortales esse diminutam: ac uicissim sa-
stum, hypocrisim, mendacium, fraudulentiam, & pauperum oppressiōem, fastigia rerum occupasse. Ideoq; im-
precatur superbis, dolosis ac perfidis diuinam ultionem & exterminium: ac simul pios & adflictos solatur,
non deserturum ipsos Dominum, sed salutem missurum, & à generatione praua conseruaturum.

Potest uerò hic psalmus in tres partes diuidi, sic, ut duo primi uersus querimoniam de iusticia & fide dimi-
nuta, tertius & quartus imprecationem exterminij, reliqui ad calcem usq; consolationem & diuini auxilij pol-
licitationem contineant.

Serua Domine.) Nihil obscuri habent hi uersus. Exclamatio est, quod in hanc uocem, Serua Do-
mine, erumpit Propheta. Velut enim diu cogitabundus, & dolore cordis ex intenta mali huius
consideratione intra se pressus, tandem sic prorumpit & clamat animus pius, ut dicat, Serua Do-
mine, quoniam defecit sanctus. *חסיד* est, quod plerunq; sanctus redditur. Significat uirum probū,
& beneficentiæ studentem. *חסד* enim beneficentiam & bonitatem sonat. Queritur paucos super-
esse bonos & fideles, uel si mauis, ueraces. Vtrunq; enim Ebraea uox *חסידים* significat.

Vana loquuntur.) Experimētum eius quod primo uersu conquestus est, secundo hoc uersu subij-
cit. Etenim ex eo quod passim obtinuerāt fraudes ac doli, ita ut nihil ueri, nihil sinceri in ore mor-
taliū uolueretur, facili colligi poterat, numerum proborum ac ueracium esse diminutum. Ge-
neralem fuisse hanc corruptionem, ex eo indicat, quod non simpliciter dicit, Vana loquuntur: sed

B addit, Vnusquisq; ad proximum suum. Illud, Labijs dolosis, uel ut in Ebraeo est, Labio blandicia-
rum, in corde & corde loquuntur, nihil aliud est quā quod dicit, eos duplici corde locutos, ita
ut aliud internè cogitauerint, & aliud protulerint. Illis enim qui tales sunt, uelut aliud cor in ore
est, & aliud in pectore. Et quoniam hoc genus hominum blandicijs utitur, ut fallat, tribuit illis la-
bium blandiciarum. Potest autem illud *לשון חלקה* etiam sic legi, Labio diuiso. Nam *חלקה*, etiā di-
uisit & partitus est, significat. Atq; hoc sensu relinqueretur subdolis & mendacibus hominib. nec
cor, nec labium simplex, sed diuisum & duplum. Labium diuisum est, quando aliud in faciem, &
aliud à tergo & seorsim dicitur, quando in faciem laudamus, & à tergo uituperamus.

Serua Domine.) Notemus hanc exclamationem. Qui orat ut à Domino seruetur, utiq; periculum
sentit, uel de futuro sibi malo timet. Sensit ergo Propheta, bonis ac pijs hominibus periculosum
esse, si uiuendum sit inter impios, mendaces ac subdolos, passim obtinentes. Ideo orat hic ut à Do-
mino seruetur: sicut & infrā psalmo centesimo decimonono dicit, Libera me Domine à labijs ini-
quis & lingua dolosa. Et reuera impossibile est laqueos talium hominum effugere, nisi quis diui-
nitūs seruetur. Etenim sicut cor hominis peruersi inscrutabile est, ita etiam fraudes illius uitari
nequeunt, nisi solo diuini spiritus ductu. Magi fraudes Herodis non euasissent, nisi angelica acce-
sisset admonitio.

Quoniam defecit sanctus, & diminuti sunt fideles.) Duo sunt hic notanda. Vnum, quorum sit huiusmo-
di querimonia. nō est reproborum, sed piorum & iustorum, qui probitatis ac ueritatis amore tenen-
tur. Reprobi, ut nulla ueritatis ac probitatis cura tenentur, ita non admodum de eo dolent, quod
numerus bonorum ac ueracium diminuitur, nisi quantū is defectus damni aliquid rebus ipsorum
allaturus uidetur. Licet enim ueritatis amici non sint, molestè tamen ferunt, si decipiantur: idque
non odio mendacij, sed studio res suas promouendi. Alterum, quod non dicit, Quoniam prorsus
nulli supersunt sancti & fideles: sed, Quoniam defecerunt, diminutiq; sunt. Donec hic mundus du-
rat, perpetuò reperiuntur aliquot boni ac ueraces, utut pauci. Et ipse Propheta infrā satis decla-
rat super fuisse adhuc bonos & infantes, de quorum oppressiōe & gemitu mentionem facit.

A filijs hominum.) Particula hæc notanter est posita. Non dicit, In populo Dei in domo Israelis:
sed, A filijs, uel inter filios Adam. Rarissimus prouentus est bonorum in filijs Adæ. Es hat dise
frucht nit sonders guoten platz in Adams garten.

Vana loquuntur.) Quod mendacibus & subdolis admodum astutum, & rebus ipsorum summope
re profuturum uidetur, id uocat Propheta uanum. Talia sunt omnia mendacia. Etenim ueritas so-
litudine habet, mendacium uerò uanitatem. Iam quæso quis profectus esse posset è re uana?
quæ

Vers. 6.

Vers. 7.

Vers. ult.

EXPLA-
NATIO

Vers. 1.

Vers. 2.

OBSER.
Vers. 1.

Expende, quod
populū Dei uo-
cat filios Adæ.
Ad uitā illorū,
non ad ceremo-
nias respicit,
quæ

OBSER. quæ fertilitas è re sterili? Ingens est astutorum & subdolorum hominum infania, quòd rebus suis **C**
Verf. 2. incrementum ac successum è mendacio sperant.

2 *Vnusquisq.*) Vniuersalis hæc nota non sic quidem accipienda est, ut intelligamus neminem prorsus superfuisset ueracem inter filios hominum, sed quòd malum hoc passim obtinuerit. Notemus igitur hic, licet scriptum sit, omnem hominem esse mendacem, fieri tamen nonnunquã, ut mendacium inter homines magis quàm antea inualescat: sicut etiam nationes reperiuntur, quæ reliquis ad mentiendum sunt procliuiores, quales erant Cretenses. Tit. 1. Totus mundus, inquit Ioannes, in maligno positus est, attamen mala aliquo tẽpore & in aliqua gente cõsuetudo magis inualescunt.

3 *Ad proximum suum.*) Habet & hæc particula mali exaggerationem. Minus est decipi à peregrino, ab hoste, ab inimico: maius uerò, si id fiat ab amico, proximo, uicino, cognato, fratre, sorore, coniuge, &c. Quis hic fallaciam mendacis linguæ effugiet, ubi ne proximo quidem fidere tutum est? Quomodo commercia proximorum declinabimus? Non patitur hoc humani conuictus necessitas. Quomodo securè illis utemur? Reuera, non frustra exclamauit dicens, Serua Domine.

4 *Labij dolosi in corde & corde loquuntur.*) Notandum hic est, quid in mendacibus & subdolis reprehendatur, insinceritas uidelicet labiorum, & duplicitas cordium. Exempla sunt innumera, quibus ista malicia prodita est, & hodie quoq; proditur. Notus est hoc nomine Cain erga fratrem Abelum, Saul erga Dauidem, Ioab erga Amasam, & Abnerum, Iudas erga Christũ. Quæ nostro hoc tempore à magnis ac nominatis committantur, sine meo iudicio patet.

Si legerimus illud *לשון חנף*, labio blanditionum, pulchrè innuitur hinc plerunq; decipi credulos, quòd malunt sibi blanda quàm uera dici, diligunt assentatores magis, quàm increpatores. Etenim ueritas austera uidetur, & inamabilis non suo, sed nostro ipsorum uitio: quemadmodum ægroto cibus amarus & iniucundus apparet, quantumuis in se bonus sit, & iucundus sanis. Affectus nostri ægroti sunt & corrupti, illisq; cupidè obsecundamus, & eam ob causam molestè ferimus, si quis illis aduersetur: placidè uerò & cum uoluptate, si sit qui obtemperet. Blandus est ac suauis, quisquis laudat, & extollit, sumus enim *quid dolo*. Blanda uox erat serpentis, cum diceret: Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Hinc morbus iste usq; adeò communiter omnibus Adæ posteris adhæsit, ut nemo sit mortalium, qui non blanditijs ac laudibus emolliri posse speretur. Hinc est quòd potètes ac diuites, unde aliquid emolumenti ambitur, blanditijs passim palantur. Cũ itaq; ad hoc potissimũ seruiat blanditiæ & assentationes, ut decipiamur, nec sit quisquam qui cupiat decipi: quæ demum ista est in nobis peruersitas & obcæcatio, ut potentissimum hoc decipiendi instrumentum, linguam uidelicet blandiloquam, non detestemur, sed cupidè amplectamur?

EXPLA-

NATIO

Verf. 3.

Excindat Dominus.) Consideratione mali huius, quod passim obtinere cernebat, ad hanc diuinæ ultionis imprecationem rapitur Propheta. Et ut exprimat, quàm sint detestabiles uiri dolosi, & præ nimio fastu insolentes, imprecationem hanc sic profert, ut conspicuum sit inspersam esse uementibus & acerbis emphasibus. Primum enim non dicit, Cohibeat Dominus: sed excindat Dominus labia dolosa. Deinde non simpliciter dicit, Excendantur: sed, Excindat Dominus: ut malum hoc usque adeò inualuisse significet, ut nisi excindatur prorsus, idque non humanitus, sed diuinitus cohiberi nequeat. Tertio non solum dicit, Excindat Dominus labia dolosa: sed addit, Vniuersa. qua dictione multitudinem & abundantiam hominũ subdolorũ notat. Quasi dicat: Simul uniuersa quotquot fuerint dolosa labia, excindat Dominus, sic ut nullum omnino supersit.

Addit, Linguam magna loquentem. Hac particula satis aperitur, quod genus hominum notet Propheta. Tribuit illis magniloquentiam, quæ certè inferioris subsellij hominib; tribui nõ potest, sed eorum est, qui in aulis principum primas habent: quales erant aulici sub regno Saulis.

Verf. 4.

Qui dicunt, Linguam nostram roborabimus.) Non loquitur de oris, sed de cordis uerbis, quibus superbiam & præsumptionem mentis illorum exprimit. Sentiebant impij nihil se non posse, ideoq; in omnibus insolecebant, & magno cum fastu quæuis intonabant, sibiq; regnum quoddam linguæ magniloquæ uendicabant.

Labia nostra nobiscum sunt.) Hoc est, Potestatem habemus quæuis dicendi, siue iusta, siue iniusta, siue uera, siue falsa.

Quis noster Dominus est?) Quasi dicat: Neminem habemus, cui uerborum nostrorum ratione reddere cogamur: sumus ipsi Domini, quem metueremus: hic animus omnino eorum est, qui nullo sunt nec Dei nec mortalium timore præditi, sed propter acceptam potestatem, gloriam & maiestatem securè insolescunt, & quæuis dicunt & faciunt.

OBSER. *Excindat Dominus.*) Notanda est Prophetica hæc imprecatio, quæ omnino uim habet prophetiæ. Non orat spiritus Prophetæ zelo gloriæ Dei commotus, nisi ea quæ prorsus sunt alioqui futura.

Verf. 3.

Orat hic ut labia dolosa excendantur: excidentur igitur. Et si non sitstrarum uirium, ut excidium hoc perficiamus: notandum tamen est, quòd id à Domino fieri petit. Itaq; primum terreat nos hæc imprecatio hætenus, ne dolosi simus: deinde consoletur hætenus, quòd uiri dolosi excidioni diuinæ sunt obnoxij, quales tandem quanti; sint in hoc seculo.

2

Labia dolosa.) Quòd labijs & linguæ excisionè imprecatur, cum tamen malum hoc reuera non sit labiorum, nec linguæ, quæ sunt instrumenta, sed cordis, tanquam ipsius fontis, cui labia & lingua ministrant. Sic igitur detestabile est hoc malum, ut non solum cor unde fluit, sed & labia & lingua,

gua,

Agua, quibus uelut instrumentis dispensatur, rectè detestationi & excisioni subiiciantur. Sic Pro-
uerb. 8. dicit Salom. Os lingue detestor. Speciosi sunt pedes euangelizantium bona. Rom. 10.
Contra horribiles sunt mortis nuncium adferentium. Sic comparati sumus, ut membra benedi-
ctionis ministra exosculemur, maledictionis uerò detestemur.

Linguam magnam loquentem.) Notanda hic est miserabilis coniunctio blandiloquentiæ & magnilo-
quentiæ. quare una humilium ac deiectionum, altera uerò magnatum ac potentum esse uidetur. at
hic à Propheta utraq; potentib. in aula Saulis tribuitur. Mirabile prorsus est huiusmodi hominū
ingenium. Ut fallant, sicubi aliud nequeunt, blanditijs utantur: ubi deceperunt, tum primū hor-
rendū minantur, & magna loquuntur.

Qui dicunt, Linguam nostram roborabimus.) Expēdendum hic est, quid sit roborare linguam. Primū **OB SER-**
est, reipsa præstare quod uerbis fueris pollicitus. Sic solent uiri ueraces. De hoc genere roboran- **Verf. 4.**
di linguam non loquitur hic Propheta. Deinde est, cum uiolentia præter ius & æquum quiduis li-
berè pronunciare, nec ullam ferre resistantiam, etiamsi mendacissima sint quæ proferas. Ista ui-
olentia impiorum est, qui in hoc seculo præualēt. Putant diuinum quiddā esse, si quod ore protule-
runt, in effectum ducatur, siue id iustum sit, siue iniustum. Sic roborauit linguam suam Herodes
usq; ad occisionem Ioannis Baptistæ. Sic linguas suas roborarunt Romani Antichristi, dicentes:
Vbi est maioritas, ibi est mandandi autoritas.

Labia nostra nobiscum sunt, quis noster Dominus est.) Videmus hoc loco, quantam insolentiam, tyranni-
dem & uiolentiam generet animus nullo timore superioris potestatis coercitus. Ista *ἀσέβεια* quasi ra-
dix quædam est tyrannidis ac uiolentiæ. Hinc est quod Spiritus sanctus principes ac iudices ter-
ræ suprā psalmo secundo hortatur, ut Domino seruiant cum timore. Reuera tempestiuum est, ut
qui tales sunt, excindantur: quo conspicuum fiat, habere eos Dominum in cœlis, quem si sapi-
fessent, meritò timuissent.

Propter deuastationem adflctorum.) Ab hoc uersu ad finem usq; psalmi Propheta adflctos ac deua- **EXPLA**
stos cōsolatur. Consolatur autem eos consolatione omnium certissima & fortissima, non ex hu- **NATIO**
manis uel casibus, uel euentibus, aut uiribus: sed ex indicibili bonitate, fide ac ueritate Dei, cui im- **Verf. 5.**
possibile est gemitus infantium & adflctorum contemnere, & obdurato pectore transire. Itaque
cū dixisset, Excindat Dominus uniuersa labia dolosa, &c. ne uideretur huiusmodi imprecatio nu-
dum & inefficax habere indignantis animi uotum, induxit Deum, deuastationem adflctorum &
gemitus pauperum amplius ferre non ualentem, secum de iuuandis adflctis statuentem, sicuti so-
lent potentes, aduersariorum improbitate post longam patientiam ad uindicandum excitari.

B Anthropopathiam habet, quod non simpliciter dicit, Propter deuastationem adflctorum exur-
get Dominus: sed Deum inducit ueluti commotum & indignantem, ac patientiæ uincula abrum-
pentem, secumq; ad hunc modum immurmurantem: Nunc surgendi tempus est, uastantur ino-
pes, & infantes uastati ad me ingemiscunt. Gemitus & uastationem eorum ferre nequeo. Adferā
illis salutem. Dabo illis uirum secundum cor meum, per quem eos manibus impiorum eripiam, &
bona fide regam ac protegam.

Propter deuastationem adflctorum.) Principiō notandum est, quod uastationem adflctorum & pau- **OB SER-**
perum impijs illis tribuit, qui linguam habent subdolan, & nunc blandientem, nunc magna & **Verf. 5.**
superba intonantem. Poterat dicere, Propter adflctionem pauperum, nunc exurgam: uerū ut
quantitatem mali huius uelut ob oculos uisendum exponeret, dixit, Propter deuastationem ad-
flctorum. Vastatio autem est, cum non solum spoliantur ac diuexantur miseri, sed cum ita cuncta
pessundantur, proteruntur, ac perduntur, ut nihil spei de futura restitutione remaneat: utpote cum
ædificia incenduntur, diruuntur & solo æquantur, agrorum fruges obteruntur, in apothecis exu-
runtur uineta, & arbores amputantur & exciduntur, & cuncta ad eum modum uastantur, ut nihil
reliquum sit miseris, quā ut nudi aliō migrare cogantur. Sic uastabantur miseri sub Saule, ut re-
lictis sedibus suis ad Dauidem exulem fugere cogerentur. Discamus hac imagine, quantum ma-
lum sit, si dolosa & magniloqua hominum impiorum labia supremas obtineant.

Deinde & hoc est expendendum, quod non dicit, Propter fraudulentiam, superbiam & info- **2**
lentiam impiorum: sed, Propter deuastationem adflctorum, & gemitum pauperum. Ergo quam-
uis impiorum superbia & insolentia ex diametro gloriæ Dei repugnat, & in se Deo uehementer
est detestabilis, ac digna cui ille resistat: uidemus tamen hoc loco minus à Deo ferri posse, si pau-
peres & inopes uastentur, & uastati ingemiscant, quā quod impij superbiunt & insolescunt. Er-
go minus tolerabilia sunt quæ bonitatem, quā quæ gloriam Dei offendunt. Non tam est ad ulci-
scendum seipsum, quā ad iuuandum pauperes & inopes propensus. Principibus huius seculi
non est tanta pauperum cura, quanta est propriæ gloriæ & maiestatis conseruandæ. Nō solent tam
moueri pauperum gemitibus, quā crimine læsæ maiestatis.

Et gemitum.) Obserua hic, quā commodè gemitum pauperū subiiciat uastationi. Significat ad- **2**
flctis & uastatis nihil licuisse aliud, quā tacitè intra se ingemiscere: ut improbam & ingentem
tyrannidis uiolentiam notet, cui nemo fuerit ausus occurrere & contradicere. Est autem gemitus
eorū, qui id quo premuntur tollere, uel quorum ipsos pœnitet, mutare nequeunt. Constituerant
sibi regem, qui more regio bella pro ipsis gereret, sicuti in alijs nationibus fieri uidebāt. Ex suo ip-
sorū gremio, præter diuinæ beneuolentiæ sententiam in regiam maiestatem Saulem euexerant,
cuius

eius postea tyrannidem cum gemitu ferre cogebantur. Dabant igitur pœnas temeritatis, & con- temptæ propheticæ admonitionis, de qua 1. Sam. 8. legimus. Prælufum est hac imagine ecclesiæ Christianorum, quæ posteaquam auditum à ueritate auertit, & ad fabulas conuerti cœpit, locum dedit lupis grauib. gregi non parcentibus, secundum prophetiam Apostolicam, Act. 20. Pulchrum & magnificum uidebatur, habere episcopos, principes & Pontificem coronatum non spiri- tuali modo, sed & seculari gladio terribilem, ut ecclesia non solum uerbo & gratia Christi, sed mundana quoque potentia esset instructa, contra manifestam Christi Seruatoris nostri denuncia- tionem, qua dixit: Reges gentium dominantur illis, uos autem non sic, &c. Temeritatis huius pœ- nas luit Ecclesia iam multos annos, ut contra manifestam superbiam, contumeliam, tyrannidem Romanorum Pontificum, Card. & Episcoporum, & uastationum ecclesiarum adflētis nihil liceat aliud, nisi tacite ingemiscere: Sic quod putabatur facturum ad defensionem religionis, diuino iu- dicio ad illius oppressiōem & uastationem fecit.

Luce 22.

3 *Pauperum.*) Non dicit, Magnorum, nobilium, neq. iustorum & perfectorum: sed, Pauperum & ad- flictorum. Longè aliter animati sunt principes huius seculi. Ad hos uel nullus, uel sanè perquam difficilis accessus est inopibus, miseris & pauperibus. Omnino diuersum est ingenium Dei, qui potentes & sublimes fastidit, pauperum uerò & calamitosorum gemitus admittit. Pudeat eos uanitatis, imò potius maliciæ, qui ut mortuorum sanctorum intercessionem, quam sibi ad quæ- stum confinxerunt, contra manifestas scripturas & Christianæ fidei puritatem defendant, similitu- dinem inducunt eorum principum, qui pauperes sine magnatum patrocinio & intercessione ad se non admittunt: quasi eodem ingenio & contemptu præditus sit Deus erga pauperes, quo præ- diti sunt huius seculi principes. Sic impijssimi homines, dum sanctorum gloriam prætexunt, & turpem quæstum sectantur, intolerabili contumelia Deum afficiunt.

4 *Nunc exurgam.*) Primum expende, quòd non simpliciter dicit, Exurgam: sed, Nunc exurgam. Sic exprimitur, quando tempestiū sit Deo contra impiorum superbiam & insolentiam exurgere: tum uidelicet, quando ingemiscūt pauperes uastati. Ingemiscunt autem illi tum primum, quan- do cuncta uidentur desperata, nec aliquid spei reliquum apparet. Alio ist. Gott ein nothelfer. Ex- pende hic bonitatem Dei. Sui ipsorum uitio patiebantur istam calamitatem Israelitæ, & tamen ni- hilominus gemitibus illorum ad succurrendum excitatur.

Deinde cogita, quid expectandum sit, quando Dominus cœli ac terræ & Rex regum surrectu- rum se dicit. Videmus in hoc seculo, quantum terroris incutiatur aduersarijs, & quàm exultent subditi & adflēti, si quando rex quidam potens & ad res bellicas instructus expeditionem contra hostes suos molitur.

5 *Dicit Dominus: item, Loquitur apud se.*) Consideremus hic mentem Prophetæ, qua ratione non so- lum Deum ista secum loquentem inducat, sed adijciat etiam hæc uerba, Dicit Dominus: &, Lo- quitur apud se. Omnino uoluit hæc uerba nobis tanquam non humanitatis, sed diuinitus prolata, omnium haberi certissima. Quare? Quia caro nostra difficillimè in rebus aduersis hanc fidem di- uinæ bonitatis admittit, ut credat Deum gemitibus pauperum excitari. Ideo particulam hanc in- geminat, non contentus semel dixisse, Dicit Dominus: nisi adijciat, Loquitur apud se, uerboque *נֶאֱמַר* utatur: quòd significat non simpliciter, sed cum quadam animi cōmōtione loqui, ad morem eorum qui uel irati uel arrogantes loquuntur.

6 *Feram salutem.*) Notanda est hic Ebræa phrasis, quæ sic habet, *אֶשְׂתִּיכֵן בְּשָׁלוֹם*, id est, ponam in salute, pro potiam salutem: quod meo iudicio plus est, quàm si dicat, Feram salutem. Etenim ponere salutem, non simpliciter est ad tempus præsentī succurrere necessitati, sed firmam & continuam sa- lutem, ad futurum etiam sese extendentem constituere ac firmare. Sic nō solum Saulem cum suis è medio sustulit, sed Dauidem dedit, fidelem pastorem, qui populum Israelis iudicio & iusticia pa- sceret ac moderaretur: deniq. contra uicinarum gentium uiolentiam defenderet. Volebant ipsi Israelitæ salutem sibi ponere, cum regem petebant. Verum uastatorē Seruatoris loco repperunt, donec Deus ipse Dauidem daret, qui ipsos seruaret, acritè regeret. Ergo solius Dei est, sicuti sal- uare, ita & saluatores ponere.

EXPLA-
NATIO
Vers. 6.

Eloquia Domini, eloquia munda.) Quoniam uersu præcedenti Dominum ipsum induxit, qui se iam surrecturum & salutem populo suo adflēto, uastato ac pauperi alluturum dixerit: iam consequen- ter hoc agit, ut admoneat, uerbo Dei, omni dubitatione reiecta, quàm firmissimè ac securissimè esse credendum & innitendum. Et quamuis hoc ipsum uerbis nō exprimat: id tamen disertè pro- nunciat, quod fidei huius & fiducia unicum est fundamentum: nempe, eloquia Dei omnium esse uerissima, firmissima, & certissima, nec unquam irrita facta, sed perpetuò ueracia inuenta: quòd certè nulla alia ratione cavit, quàm ut quosuis ad credendum eloquijs Dei hortetur. Dicit itaq., Eloquia Domini, eloquia munda: hoc est, nullo mendacio obnoxia. Et addit, Argentum igne exa- minatum, &c. Non solum dicit, eloquia Domini in se esse ueracia, sed etiam hoc illis tribuit, quòd sint probata & ueracia inuenta. Et ut hoc exprimat, utitur simili admodum commodo & perspi- cuo, argenti uidelicet: quod non solum in se sit purum ac sincerum, sed igne etiam examinatum & probatum: idq. non semel tantum, sed septies, hoc est, abūdè satis, & sufficienter, ut nulla super- sit dubitandi ratio.

OBSERL

Eloquia Domini) Primum poterat dicere, Voluntas Domini munda & firma: uerum ut mentes nos- tras

Astras non simpliciter uoluntate Dei, quæ sine uerbo est occulta, sed uerbo, quod uoluntatis declarationem ac manifestationem habet, consoletur & confirmet, maluit dicere, Eloquia Domini, quam uoluntas Domini. Deinde poterat dicere, Quod hic loquutus est Dominus, mûdum est & certum: uerum maluit ueritatis ac certitudinis encomium, non solum isti eloquio Dei, quod adflicto populo succurrere statuerit sed in genere quibuscunq; eloquijs illis tribuere. Ideo dicit, Eloquia Domini eloquia munda. Sic Prouerb. 30. Solomon dicit, Omnis sermo Dei igne probatus.

Eloquia munda.) Notandum hic est, quod eloquijs Dei loco ueritatis mundiciem tribuit. Ergo quod puritas est in argento, id ueritas est in eloquio: & quod impuritas est in argento nondum purgato, id mendacium est in eloquio falso & corrupto. Cum itaq; mendax sit omnis homo, eloquiū hominis, ut hominis, impurum esse necesse est: ut soli Deo, qui mentiri nescit, istud maneat puri eloquiū encomion. Quapropter quicquid illi humanitūs assuitur, impurum sit oportet.

Argentum igne examinatum.) Notandum hic est, quod eloquia diuina comparatur argento: uidendumq; quomodo id faciat. Bifariam in Scripturis comparatur eloquium argento. Primum æstimatione & ualore, ut Prouer. 10. Argentum electum lingua iusti. Loquitur enim illic Salomon de utilitate oris & linguæ hominis iusti, sicut ex præcedentibus & sequentibus patet. Deinde non æstimatione, sed puritatis & probatæ certitudinis similitudine, sicut hoc loco fieri uidemus. Etenim sermo Dei, si utilitatem illius æstimes, & argentum & aurum & lapides preciosos, & omnia superat: ut psal. 119. Melior mihi lex oris tui super millia auri & argenti. Ergo duo dat eloquijs Dei hoc loco Propheta. unum, quod sint pura, id est uera: alterum, quod sint probata.

Deinde & hoc notandum est quod non simpliciter dicit, Argentum examinatum: sed, Argentum igne examinatum. Sic eloquia Dei igne, id est cruce, rebus aduersis uelut igne probantur. Experimenti sunt hoc Abraham, Isaac, Iacob, Israelitæ in deserto, & hic Dauid.

Tertiò obserua, quod non semel tantum, sed sæpenumero, imò quod satis sit, eloquia Domini probata esse dicit. non enim simpliciter dicit, Purgatum: sed addit, Septies. Sic Spiritus S. omnem nobis incredulitatis excusationem adimit. Huc etiam facit quod Psalmus 119. dicit, Igne conflatum eloquium tuum uehementer.

Expendamus hic primum, quam oporteat nos cordibus esse corruptis & peruersis, quibus opus sit: ista de uerbo Dei inculcare. Etenim si tam essemus ad credendum diuinis atq; humanis eloquijs parati ac prompti, non fuisset necesse ista nobis de eloquiorum Dei ueritate ac certitudine inculcare. Alius uilitate ministri offenditur, sicut uerbum Dei non ut uerbum Dei, sed ut uerbum hominis audiat. Alius spectris huius mundi, alius iudicio rationis humanæ retrahitur, ne uerbo Dei firmiter credat. Deinde quam sit contemptus iste uerbi Dei, qui postremo hoc seculo obtinet, execrabilis & inexcusabilis. Non enim tam est enorme illorum peccatum, qui olim antequam eloquia Dei toties atq; nunc certis experimentis confirmarentur, de ueritate illorum dubitarunt: quam est eorum qui post tanta ueritatis Dei experimenta, etiamnum eloquijs Dei ex animo credere detrectant. Itaq; & deploremus ingenij nostri corruptionem, qua fit ut tam ægrè loquenti Deo credamus: & simul Deum oremus, ut fidei nobis spiritum largiatur, cuius ductu cunctis eloquijs ipsius quam firmissimè adhæreamus. Etenim sicut beati prædicantur, qui ipsi credunt: ita reuera miseri & infelices sunt, qui non credunt.

Tu Domine custodias eos.) Habet hic uersus orationem, qua petit Propheta, ut adflictos Deus à generatione impiorum custodiat. Tu Domine, inquit, custodias eos: id est, adflictos & pauperes, de quibus ipse loquutus es, quod propter uastationem & gemitum eorum exurgere, salutemq; ponere uelis. Non dubito quin sis eos secundum ueritatem eloquiorum tuorum, quæ fallere nequeunt, custoditurus: ideoq; hac fide oro, ut eos conserues. Adjicit: Serues nos à generatione hac in æternum. Et seipsum pijsimè rex adflictis & pauperibus auxilio Dei opus habentibus adnumerat. Illud, A generatione hac in æternum, bifariam accipi potest. Aut de ætate illa in qua uiuebat Dauid: ut idem sit, quod, Ab hoc tempore in sempiternum. aut de generatione impiorum, de quibus uersu sequenti meminit: qui sensus & Ebræis & nostris placuit, & mihi quoq; menti Prophetæ cōuenientior uidetur.

Circumquaq; impij amb.) Generationem eam cuius uersu præcedenti mentionem fecit, à qua Dominus suos sit seruaturus, hoc postremo uersu qualis fuerit describit: ac simul ad eam querimoniam respicit, quam contra corruptionem eius ætatis initio psalmi effudit. quasi dicat: Seruabis nos à generatione hac impiorum pessima, quæ sic obtinuit in populo tuo, ut passim & circumquaq; ambulet, sic ut impossibile sit maliciam eius euadere, nisi tu nos serues & custodias. Illud, Cum exaltantur uilissimi filiorum hominum: aulicos illos præfectos & iudices respicit, qui sub Saule in Israele homines impij tyrannidem exercebant. Et illis malū hoc adscribit Propheta, quod impij passim in populo Dei obtinere cœperant.

Tu Domine custodias eos.) Notandum est hoc orationis genus, quod certo uerbo Dei nititur. Non ideo orat, ut adflictos Deus custodiat, quod de eloquijs Dei dubitet, quæ omnium dixit esse certissima & probatissima: sed quod id, quod Deum sciebat certò facturum, ex animo ut fiat petit. Ea demum bona fiducia peti possunt, de quorum certitudine ex uerbo Dei constat, quæ non faciunt securos & negligentes, sed ad orandum sedulos & intentos.

Serues nos.) Considerandum hic est modestum ac pium regis huius pectus. Coniungit se adflictis

OBSER. II.

OBSER. III.

Expende & illud, In fornace terreo. Sic sunt homines ppi, in quibus eloquia Dei probantur.

ANNEXA.

EXPLANATIO
Vers. 7.

Vers. ult.

OBSER.

Vers. 7.

Exemplum charitatis, quæ pro aliorum custodia orat.

k & pau- 11.

& pauperibus, qui sub Saulis tyrannide uastabantur, simulq; cum illis à Deo seruari petit, quam uis exul esset, & è medio eorum profligatus. Erat adflictis istis destinatus seruator, attamen nō dicit, Ego custodiam eos, & seruabo à generatione hac impiorum: sed, Tu Domine custodias eos, & ne seipsum uideatur eximere, addit, Serues nos: unum seipsum ex illis cōstituens, quibus opus sit, ut diuinitus seruentur. Sit hoc exempli loco omnibus principibus & capitibus populi De prae fixum. Poterat hic Dauid unus esse ex primoribus Saulis, sicut & gener illius erat. Verum malebat cum populo adflicto periculis ac libidini impiorum exponi, quam numero impiorum accen seri. Tale quid & Moses fecisse Ebr. II. scribitur. Et Esther, cum esset inter reginas assumpta, unam tamen seipsam ex illis fecit, quibus per Aman exitium intentabatur.

III. A generatione hac.) Obseruandum hic est, quod non simpliciter dicit, Ab impijs istis: sed, A generatione hac. Tribuit impijs generationem. Generatio includit propagationem, ab origine aliqua ueluti radice quadam deductam, & posteritatem consequutam. Sic impij inde ab initio impiæ ra dicis, quam humano generi Satan inseruit, crescunt, & ad finem usque mundi propagantur: sicut contra piorum generatio, cuius initium ex semine Dei est, & ipsa ad finem mundi usq; extenditur. Et istæ generationes piorū & impiorum haud pariformiter propagantur. Etenim impiorum generatio per peccatum quod ex traduce primi nostri parentis carnalem nostri natiuitatem inficit, & impiam reddit, propagatur: piorum uerò, non carnali natiuitate, sed per semen illud Dei, quo originalis macula in electis repurgatur, conseruatur & extenditur. Vnde fit, ut eodem parente oriatur & electus & reprobus, sicuti uidere in Adamo & Iacobo. Nemo parens, quantumuis pius, liberos suos generationi piorum, ac rursus nemo parens, quantumuis impius, prolem suam generationi impiorum inferere poterit: sed utraq; generatio à iudicijs electionis ac reprobationis pendent, quæ omnium sunt occultissima.

III. In æternum.) Expendamus & hanc particulam. Erat ne ea impiorum generatio, de qua loquitur hoc loco, duratura in æternum? Atqui nec impij nec pij ullius temporis, tales in sempiternum esse possunt, ut illi perpetuò nocere & opprimere, isti perpetuò adfligi & opprimi possint. Quid est igitur quod hic non solum dicit, Tu Domine custodias eos, serues nos à generatione hac: sed addit, In æternum, quasi illius temporis impij in æternū uastare, & pij perpetuò uastari potuerint, ut necesse ipsis fuerit in sempiternū ab impijs custodiri? Primum illud חַיִּים, id est, In seculum, nō ponitur hoc loco pro alia æternitate, quam quæ præsentis est seculi, in quo pij adfliguntur ab impijs. Deinde non solum pro sui temporis adflictis ac pijs, sed pro tota generatione piorum ad finem usq; mundi, contra generationem impiorum orat, ut donec hoc seculum durat, pij custodiantur à generatione impiorum. Sic se Dauid nō modò sui seculi, sed in uniuersum omnibus pijs adflictis & pauperibus, qui ad finem usq; mundi futuri erant, associat, & conseruationem illorum exoptat. Admonemur igitur, perpetuam hanc esse impiæ generationis maliciam, ut pios & innoxios adfligant & uastent, ac si possint, prorsus perdant: ut necessaria sit pijs perpetua custodia, & conseruatione A quo autem illa rectius petetur, quàm ab eo, qui ut sempiternus Deus est & rex, ita suos etiam in sempiternum conseruare potest.

OBSER.

Verf. ult.

Circumquaq; impij ambulant.) Notandum hic est, quod non dicit, Circumquaq; sunt impij: sed, Circumquaq; ambulant impij. Verbum ambulandi duo cōplectitur. Primum, passim regnasse ac floruisse impios. Est enim ambulare hoc sensu, proficere, ac successum habere. Sic Esa. 40. de pijs, Ambulabunt, inquit, & non deficient. Et psalm. 73. de impijs, Et lingua eorum, inquit, ambulat: id est, regnat super terram. Sic & Hierem. de impijs, cap. 12. quæritur, quod plantati proficiant. Deinde intentissimos fuisse impios ad persequendum pios. Etenim, circumquaque ambulare impios, præsertim in hac causa quam Propheta hoc psalmo uersat, non solum est regnare impios, sed etiam instar leonum & luporum circuire, & quærere quos deuorent ac perdant. Vnde & Ebraeus Kimhi sic hoc loco dicit, להרע להם, id est, Ad adfligendum eos, pauperes uidelicet. Sic diabolus ipse ab apostolo Petro circuire, & quos deuoret quærere dicitur. Itaq; hoc loco Propheta queritur, & multos fuisse impios, ac circumquaq; dispersos: deinde regnū eos in populo Dei obtinuisse, & ad affligendum pauperes fuisse intentissimos. Quid igitur hinc aliud obseruandū est, quàm sicubi multiplicentur impij, passimq; regnent, & pauperes opprimant, orandum esse Dominum, ut suos ipse custodiat & conseruet, sicuti uersu præcedenti Propheta orauit.

1. Pet. ult.

II. Cum exaltantur uilissimi filiorum hominum.) Obseruandum hic est, quam causam mali huius assignet Propheta. Poterat inducere peccata populi, & iustum Dei iudicium: uerum ut notet regni Sauliti ci corruptionem, culpam ijs tribuit, qui ad gubernacula rerum fuerant euecti. Magistratus potestatem, quæ à Deo est, non culpatur. Neq; enim dicit, Cum exaltantur homines. Culpatur uerò leuitatem ac uilitatem eorū, quibus potestas superior fuerat concredita. Cum exaltantur, inquit, uilissimi filiorū hominū. Viles ex filijs hominū sunt, homines plebei & infimæ sortis, nulla rerum gerendarum dexteritate præditi: ideoq; ad assentandum & obsequendum tyrannicæ libidini parati ac prompti. Notandum itaq; hic est, hinc maximam esse corruptionem etiam in populo Dei, quod homines uiles & leues, magistratus potestati administrandæ admouentur: ut non frustra sit, quod principes populi, Num. 25. propter populi corruptionē iussu Domini patibulis appēsi fuisse legunt. Est igitur orādo Dominus, ut det magistratibus graues, sinceros, probos, & iusticiæ amatores. Deinde, ministros uerbi quoq; tales ecclesiæ suæ præficiat, de quibus dici nequeat quod sint

לללה

A אדם לברי אדם, id est quisquiliæ uulgi, homines leues, uiles & inanes. Interim non est cogitandum, contemnere Prophetam filios hominum, uulgi ac plebem in populo Dei. Absit. Non contemnit eos, sed id culpat, quod qui uilissimi in illis erant, ad fastigia gubernandarum rerum euehebantur, ut essent tyrannidis mancipia, & uiam cuius impietati uilitate ac leuitate sua aperirent. Omnino heroicus animus, grauis ac fortis, ad magistratum gerendum requiritur. Virum enim, ut ille ait, probat magistratus. Præsens hoc seculum cum in ecclesiasticis, tum profanis rebus, hinc potissimum corruptum est, quod uilissimi homines exaltantur.

PSALMVS XIIII

AD PRAECINENDVM, PSALMVS DAVIDIS.



Suequò Domine obliuisceris mei pœnitùs? Vsq̃uequò abscondis faciem tuam à me?

Vsq̃uequò ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo 2 per diem? Vsq̃uequò exaltabitur inimicus meus super me?

Respice & responde mihi Domine Deus meus: illumina oculos 3 meos, ne obdormiam in morte.

Ne dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum: ne qui tribulant me exultent, 4 si motus fuero.

Et ego in bonitate tua confido, exultabit cor meum in salute tua: cantabo Domino, quòd rependerit mihi.

Argumentum psalmi.

Exprimitur hoc psalmo animus primùm grandi tentatione, simul & mœrore cordis in rebus adflictis affectus: deinde ad Deum orando conuersus, ac tandem bona fiducia erga bonitatem Dei recreatus, futurūq; sperans ut breui propter acceptam diuinitus salutem exultaturus sit, ac Domino gratias acturus.

Sunt itaq; tres huius psalmi partes. Prima querimoniam habet, uersibus duobus, 1. & 2. Secunda orationem, uersu 3. & 4. Tertia, uersu ultimo, fiduciam in bonitatem Dei, de futuro auxilio.

B Ne qui tribulant me.) Non est hoc loco in Ebræo illud Ne, si uerba penses: uerum si sensum confideres, apparet esse repetendum quod initio uersus est positum: nec aliena est ista repetitio à loquutionibus Dauidicis: Alij legunt, Qui tribulant me, exultabunt, &c. dempto Campensi, qui uertit, Et hostes mei exultent: & Luthero, Bucero, ac Zuinglio, qui uoculam Ne repetierunt.

Quòd rependerit mihi.) Ebr. כִּי גִבַּר עָלַי. Græc. τὴν ἐνδύναμιν αὐτοῦ ἐπ' ἐμὴν. Vulgata Latina, Qui bona tribuit mihi. Chald. כִּי שִׁבַּחַת עָלַי אֱלֹהִים, id est, Quia benignè mecum egit. Hieron. Qui reddidit mihi. Felix, Quoniam retribuit mihi. In Ebræo non est illud, ἡγάλας τὴν ἐνδύναμιν σου ἐπ' ἐμὴν, id est, Et psallam nomini Domini altissimi. quam particulam & Græcus & uulgata Latina habent. Chaldæus uerò non habet, nec Hieron. Et rursus hoc loco apparet, Arabicam uersionem compositam esse secundum septuaginta interpretationem. Nam & ipsa psalmum hunc sic claudit: Et laudabo nomen Domini excelsi.

Vsq̃uequò Domine obliuisceris mei.) Queritur hisce duobus uersibus pientissimus Dauid, primùm de eo, quòd uideatur Deus sui esse oblitus. Oblitio quidem in Deum non cadit prorsus alicuius rei, nedum eorum qui in ipsum sperant, & toti ab eo pendent: uerum quoniā persecutio illa quā Saul impius innocenti pertinaciter inferebat, inualecebat, & frustra adflictus ad Deum clamare uidebatur, nihil poterat in huiusmodi tribulationibus constitutus aliud cogitare, quàm nullam superesse sui apud Dominum memoriā. Hinc est quod dicit: Vsq̃uequò Domine obliuisceris mei penitùs?

Vsq̃uequò abscondis faciem tuam à me?) Habet hæc querimonia tentationis auxesim. Etenim grauius est auersionem faciei sentire, quàm obliuionem. In obliuione remissio est beneuolentiæ & curæ, in auersione uerò faciei indignatio & odium. Itaq; quasi non satis magnitudinem tentationis huius per id expresserit quod dixit, Vsq̃uequò Domine obliuisceris mei penitùs: querimoniam hanc adiecit, dicens, Vsq̃uequò abscondis faciem tuam à me? Habent huiusmodi loquutiones ἀντὶ τῆς ἀποστρέψεως, de Deo, perinde atq; homine quodam loquuntur, humanum siquidem obliuisci, & faciem ab eo quem odias, auertere.

Vsq̃uequò ponam consilia in anima mea?) Consilia in anima ponere, est consilia de liberanda uita in adflicto & anxio captare. Significat ergo se uarijs consilijs æstuasse, & primùm de eo queritur, quòd frustra toties secum consultarit, deinde per auxesim adijcit,

Dolorē in corde meo per diem.) Quibus uerbis queritur, nō modò inania fuisse omnia consilia, sed dolorē cordis sui per illa auctiorem etiam & intentiorem singulis diebus fuisse redditū. Quid enim consilia toties frustra capta aliud efficerent, quàm ut anxietatem animi adflicti intenderent?

Vsq̃uequò exaltabitur inimicus, &c.) Hæc est quarta querimonia. Hinc erat grauitas tentationis huius, quòd hostem cernebat, inualecere contra se, non solū in perseuerare in malicia. Etenim usq;